

PRÆMIUM
JEHOSCHUÆ PONTIFICI

ZACHAR. III, 7.

PROMISSUM

PHILOLOGICO-EXEGETICE DISQUIRIT,

VIRO

PLURIMUM REVERENDO, AMPLIS-
SIMO, DOCTISSIMO

M. CHRISTIANO WEISIO,

S. THEOL. BACCAL. ET AD ÆDEM D. PETRO
LIPSIAE SACRATAM CATECHETÆ DIGNIS-
SIMO, MERITISSIMO,

CONCIONATORIS ET CATECHETÆ
ORDINIBUS S. INSTRUCTI

AD EANDEM ÆDEM

MUNERIS AUSPICIA

A. MDCCXXIX. D. IV. ID. APRIL.

FELICISSIME CAPTA

PRO ANIMI CANDORE GRATULATUS

M. GOTTLOB FRIDRICUS GUDE.

V. D. M.

Coll. diss. A
44, 44

LIPSIAE, LITERIS BREITKOPFIANIS.

a XLIV. 44



Q. D. B. V.



Uotiescunque Lipsienses Athenas memoria repeto; (re-
peto autem quam sæpissime,) toties TUI, *Amicorum*
Ocelle, recordatio animum suavissima lætitia demulcet.
Quippe eum TE expertus fui amicum, quos præ-
temporis furibus eligendos prudentiæ dictamen sva-
det; nunquam nisi doctior & melior abs TE disce-
dens. Neque locorum, quæ utrumque nostrum
nunc tenent, distantia, animorum nostrorum conjunctionem hæcenus
dissolvit, crebrioribus literis compensantibus, quam locorum intervalla ne-
gant, confabulationem. Quem mutuum amorem nostrum publicis hisce
literis eam ob causam commemoro, ut TIBI pariter pro TUO in me
affectu decentissimas grates persolvam, publicis laudibus eundem tollens;
atque TE ad continuandum erga me favorem, qua par est animi observantia
invitem. Hinc etiam absque ullo negotio TIBI persuadere poteris, me
non sine insigni mentis lætitia percepisse nuncium, TE ad *Concionatoris*
& Catechetæ munus in Æde D. Petro Lipsiæ sacrata obeundum, haud ita pri-
dem vocatum esse. Nequeo celare gaudium, quo pectus meum affluit.
Perumpat præcordia: præsentis literæ sint illius interpretes! Video per
TE non minus officium exornatum, quam TE per acceptum munus de-
coratum. Utrumque lætandi materiam mihi præbet. Accedit, *summe*
reverendum Parentem TUUM, ternaria lætitia in unius anni spatio per-
fundi, cum præter *binas filias optime elocatas*, TE filium, quem unicum
eumque optimum habet, ordinibus sacris exornari, iisque instructum sugge-
stum sacrum ascendere nunc videat. Felicissimam sane paterni gaudii tria-
da, quam *summe reverendo Parenti TUO* mecum gratulabitur quisque,
qui preces *Ejus* ardentissimas, vigilias insomnes, ac indefessas curas, quibus
intemeratæ Ecclesiæ Evangelicæ, in primis, quæ Christo Lipsiæ colligitur
prospicit, æqua mentis trutina expendit. Dubius certe hæreo, utrum TI-
BI de *Patris TUI* pietate, doctrina & solertia, an *Parenti TUO* de

TUA

) 2



TU A filii sui pietate ac eruditione magis sit gratulandum. Id quidem certum quam quod certissimum videtur, utrumque VESTRUM magnos mereri applausus; Deo autem humillimas laudes atque gratias ante omnia deberi. Quotquot enim & gratiæ, & naturæ, & fortunæ bonis TE cumulat; tot largissimis remunerationibus solertissimum Parentis TUI animum recreat summum Numen. Quas inter præ reliquis eminet felicitas, quæ Ipsiæque ac Tibi nunc contingit, per quam summe reverendus Parens TUUS TE fidissimum mysteria sacra in una eademque civitate docendi socium & collegam nanciscitur.

Hæc illa est felicitas, quam & vitæ, & doctrinæ nemini secundo, Israelitas inter reduces Pontifici summo Jehoschua, angelo non creato interprete, † promisit Deus Zachar. III, 7. כֹּה-אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת אִם-בְּרַכְוִי תִלְךָ וְאִם מִשְׁמַרְתִּי תִשְׁמַר וְגַם-אֶתָּה תָרִין אֶת-בֵּיתִי וְגַם תִּשְׁמַר אֶת-חֲצָרַי וְנָתַתִּי לָךְ מִהַלְכִים בֵּין הָעֲמֻדִים הָאֵלֶּה: quæ verba ex TREMELLII versione hunc sensum fundunt: *Sic ait Jehova exercituum, si in viis meis ambulabis, & si observationem meam observabis, & tu cum judices domui meæ, tum etiam observabis atria mea: utique disponam Tibi, qui ambulent inter adstantes istos.* Liceat horum verborum illustrationi paululum immorari, in ea vero ὑσερον πρότερον committere; ut primo quidem apodosin, h. e. promissum bonum, deinceps vero protasin, sive conditionem illud obtinendi a Deo positam consideremus. Illam postremum commatis nostri hemistichion exhibet: וְנָתַתִּי לָךְ מִהַלְכִים בֵּין הָעֲמֻדִים הָאֵלֶּה: Qui enim apodosin paulo altius quærunt, & inde a verbis וְגַם-אֶתָּה תָרִין אֶת-בֵּיתִי regiam exegeteos viam transgrediuntur, Athnachi ditionem transilientes. * Sed in his apodoseos verbis tam vertendis, quam interpretandis admodum dissentiunt interpretes. Sunt qui ad Jehoschuam ipsum, alii ad familiam ejus hæc verba referunt. Priori sententiæ addictum videmus B. LUTHERUM, verba nostra ita transferentem: *Und ich will dir geben von diesen, die hier stehen, daß sie dich geleiten sollen.* Idem senserunt Genevenses, quorum gallica versio hujus tenoris est: *Et je ferai, que tu marcheras parmi ces assistans.* Quibuscum faciunt VARENIVS, PETRUS von HOEKE, GEBHARDUS, alii; tanquam Jehoschua ipsi & in hac, & in altera vita angelorum consortium promitteretur. Discedunt ab iis LXX interpretes, TREMELLIUS, TARNOVIUS, & forte etiam alii, non ad Jehoschuam ipsum, sed ad ejus familiam hanc promissionem trahentes, h. m. *dabo Tibi ambulantes inter adstantes hosce.*

Causa

† conf. THEOPHILI ALETHÆI Gründliche Erleuterungen P. III. p. 48.

* Notati a B. STARCKIO N. S. ad h. l. —

Causa dissensus in diversa vocis מַהֲלָכִים derivatione posita est omnis. Hanc enim *prioris expositionis* defensores numerum pluralem nominis substantivi esse crediderunt; cujus singularis est מַהֲלָךְ *iter, profectio, ambulatio* allecti in hanc sententiam a *Chaldeo Paraphrasta*, JONATHANE, hæc verba explicante. בַּחַיִּוֹת מֵתִים אַחֲרָיִךְ וְאַתָּן לָךְ רַגְלֵיךְ מֵהֲלָכִין בֵּין שְׂרָפִים הָאֵלֵּיךְ, *in resurrectione mortuorum vivificabo te & dabo tibi pedes ambulantes*, (i.e. ambulationes,) *inter hos Seraphim*. *Posterioris* autem *expositionis* vindices pluralem participii Conjugationis *Hiphil* esse judicarunt: ex qua diversa vocis derivatione, diversa ejus expositio nata fuit. Mihi si qua divinandi & judicandi potestas inest, *posterior* sententia *priori* præferenda videtur: quandoquidem punctatio vocis a partibus ejus militat, & *priorem* derivationem dissuadet. Quod si enim מַהֲלָכִים descenderet a מַהֲלָךְ tunc vocalis longa in plurali numero non abjecta sed retenta fuisset, juxta communiores puncta mutandi regulas. * Abjecta vero longa vocali, verosimilius pro participio plurali conjugationis *Hiphil* vox nostra venditatur, neque *ambulationes*, sed *ambulantes* redditur, & ad *Jehoschuae* familiam promissio commodissime refertur. Sed quid sibi vult hæc promissio? *dabo tibi ambulantes inter adstantes hosce*. Igitur dispiciendum est, cum *quinam adstiterint?* tum quid significet; *inter adstantes ambulare?* Procul dubio angelorum myriadibus stipatus erat angelus ille non creatus, quem per ecstasim sermones secum miscere percipiebat Zacharias. Hos appellat *stantes* propter ministrandi studium, quo Deo piisque omnibus sunt dediti, tanquam λειτεργικὰ πνεύματα; cujus rei commata 4 & 5 hujus capituli testimonium perhibent: quemadmodum eadem vox *stare* de Salomonis ministris usurpatur I Regum X, 8. indicandi ergo, paratos fuisse servos, qui Salomonis jussa exequerentur. Prægnanti itaque sensu hoc verbum gaudet, exprimens *antecedens*, & simul *consequens* per metalepsin includens. † Exinde totius phraseos: *ambulare inter adstantes & ministrantes*, significatio elucescit. Scilicet per eam denotari: *una cum angelis ministrare Deo*; juxta literam: *in medio* †† *adstantium & ministrantium esse*; qui vero est in medio ministrorum, eodem officio cum iis fungi creditur. conf. Jobi XXX, 1. Hinc in *medio angelorum Deo ministrantium esse*, nihil aliud significat, quam *una cum*

* Longa enim vocalis, secundam a tono occupans, manet in forma nominum absoluta. vide B. S T A R C K I I *Lucem Ebraeam* p. 83. Eandem derivationis fallaciam sua jam ætate subodoratus videtur B O H L I U S *Analyfi Zachuriae* p. 50.

† More Hebræis usitatissimo. vide B. S T A R C K I I *Lucem Hebræam* p. 407.

†† Particula כִּן proprie est nomen Substantivum formæ constructæ, significans *medium*. conf. K O E R B E R I *Lexicon Particularum* p. 29.

eum illis Deo inservire. Quæ felicitas non demum in altera vita electis continget, coll. Apoc. VII, 15. quemadmodum VARENIUS hanc promissionem cum JONATHANE de vita æterna accepit; sed jam hac in vita militantis ecclesiæ membris unacum angelis Deo ministrare licet: neque tantum *ratione communiore*, quæ pios decet singulos, ut ad voluntatis divinæ amissum mores suos, & affectus componant; sed *adhuc specialiori quadam ratione*, quando alios præparant, ut Deo ministrent. Cujus gratia Verbi sui præcones, & in V. T. sacerdotes speciatim vocavit Deus *Angelos*, conf. Mal. II, 7. & Ephes. IV, 11-14. Igitur a sacerdotibus idem ministerium unacum angelis subeuntibus, haud alienum fuit, quod Judæi Pontificem expiationis festo, nec non alios quosdam Synagogis deservientes *שליח יצבר* *nuntios & delegatos ecclesiæ*, græce *ἀγγέλως* appellaverint. * Extra usum S. hac voce ii denotabantur juvenes, qui ad puellas amores earum ambeundi ergo mittebantur. † Quia in re sacerdotes V. T. & in genere omnes V. D. Ministri, cum iis egregie comparari queunt, a Deo missi, auditorum suarum animas invitandi causa, ut cum ipso mysticum conjugium inirent; sicuti Moses, per quem populum Israeliticum Deus in spiritualis conjugii fœdus recepit, a Judæis speciatim *שליח* *angelus* dictus fuit. †† Neque hæc sacerdotum appellatio Spiritui S. displicuit, ut potius eam approbaverit, & in variis S. S. locis singulis Verbi sui Ministris eam imposuerit. Ex quibus in præsentia sufficiat provocasse ad Mal. II, 7. III, 1. collatum cum Joh. III, 29. & 2 Cor. XI, 2. nec non Apoc. c. II, 1 seq. Ex his probe expensis conficitur, Deum Jehoschuæ verbis nostris pollicitum fuisse, fore ut etiam posteri ejus sacerdotali dignitate gaudeant. Quibus promissis respondit eventus. Per longum enim temporis intervallum successerunt Patri filius & nepotes, ut ex JOSEPHO & NICEPHORO aliisque constat. ** donec impietas altiores subinde cristas erigeret, ut variis illicitis artibus, ipsam adeo Pontificatus dignitatem ad se rapere molirentur, quibus honor non nisi & reditus exinde provenientes cordi essent, licet nec e profapia sacerdotali, sed obscurissima gente nati, & nequaquam idonei fuerint, qui ad tantum honoris fastigium eveherentur; imo evenit, ut singulis fere annis novi Pontifices crearentur, quos mortuis antecessoribus tantum constitui jusserrat summum Numen. Hac ratione Pontificatus dignitas decrevit, quæ alias sanctissima semper & summa putabatur, ut vel ipsi Judæi post mortem *Ismaelis Pontificis*, (qui *Anna*, in historia

* Confer de iis VITRINGAM de *Synagoga Vetere*. p. 902.

† Annotante RELANDO de *Antiquitatibus Hebr.* p. 124.

†† Testibus Duumviris, quos jam citavimus l. c.

** Confer RELANDUM l. c. p. 146 seq.

ria passionis dominicæ sæpius commemorato, successerat) זֵר כְּהוֹנֵה *decus & splendorem sacerdotii* cessasse non diffiteantur. † Scilicet exorto Justitiæ sole, pallecebant typorum stellæ! Interim negari non potest, magni omnino habendam fuisse felicitatem verbis nostris *Jehoschua* promissam. Ecquis enim parentum non optaret, ut liberis suis etiam post fata sua bene sit? Sed vero maximam inter Israelitas dignitatem posteris suis promittit *Jehoschua* Deus, *Pontificatum & sacerdotalem dignitatem*. Sive enim honorem, sive largissimos redditus inde redundantes, sive alios docendi occasionem, sive demum typicam ejus rationem consideremus, summa certe erat felicitas, quam liberis suis exoptare poterat *Jehoschua*: licet autoritati, qua sub prioris templi ætatem sacerdotale munus gaudebat, non æquiparanda fuerit; quoniam sanctissimis partibus templum posterius destituebatur, quibus primum templum superbiebat, & ipsis etiam sacerdotibus non parum honoris conciliabat, 1) *Arca fæderis*, 2) *Urim & Thummim*, 3) *igne calitus accenso*, 4) *Oleo sacro*. †† Adde quod hanc felicitatem eo, tempore promiserit *Jehoschua*, quo reipublicæ Judaicæ, præsertim externi cultus facies, nitori suo nondum restituta, sed templi gloria squalore, & ruderum molibus sepulta jacebat. Hanc excitandi labor vires superare videbatur; Samaritis insuper vicinis laborem sufflaminantibus: ut adeo de iteranda templi ædificatione prorsus desperarent Israelitæ, multo magis **JEHOSCHUA** de obtinenda & conservanda Pontificali dignitate. At vero hujus somnolentiæ causa non objurgat modo Israelitas Deus; conf. *Haggai* I, sed variis quoque promissionibus & spiritualibus & temporalibus studium ipsorum templum ædificandi provocat, quarum posteriori generi nostra etiam est annumeranda, per quam & in *Jehoschuam* ipsum, & in *gentem Ejus*, sacerdotalis, ino Pontificalis dignitas confertur.

Conditionem, sub qua hæc felicitas promittitur *Jehoschua*, priori hemistichio prolixius descriptam videas. *Si in viis meis ambulabis, & si observationem meam observabis, & tu cum jus dices domui meæ, tum etiam observabis atria mea*: quibus verbis singulatim non inhærebimus, quippe quæ obscuritate non laborant, sed cuivis attento lectori hunc sensum facili negotio propinant: Requiri a *Jehoschua* accuratam officiorum observationem, tam, quæ cum Israelitis omnibus ipsi essent communia; *ut in viis Domini ambulet*; quam, quæ ipsi sacerdoti, & Pontifici essent propria; quorsum reliqua verba faciunt. Itaque ἡ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμος

† Conf. idem p. 153.

†† Pluribus verbis hæc edisserit **HUMPHREJUS PRIDEAUX** *Historia* V. & N. T. p. 145.

μός ἐσιν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης. At vero
 simul a summo Numine suppositum credas, ut *Jehoschua* posterius pietatis
 etiam sint studiosi, quando felicitate Patri promissa frui voluerint.
 Ut denique in summam colligam, quæ adhuc dicenda restant, eo redeunt
 omnia: *Jehoschuam sibi exemplo singulis verbi divini præconibus, quod
 Deus pietatem ipsorum & solertiam, quam in docendis auditoribus suis
 adhibuerint, filiorum etiam vocatione ad munera sacra remunerari velit!*
 Equidem non sustineo, reliquis officiis, ad regendam rempublicam, & vi-
 tam bene ducendam spectantibus, utilitatem suam & dignitatem dubiam
 reddere, tanquam occasione summi Numinis gloriam promovendi desti-
 tuerentur: tamen objecti causa divini, finisque cœlestis, quem Theolo-
 giæ studium, & ecclesiæ doctores sibi præfixum habent, iis quædam in-
 terna prærogativa est concedenda. Ut igitur parentibus vitio verti non
 possit, in votis habere, ut aliquando filii sui muneribus sacris præfice-
 rentur, ut & animo exultare, quando votorum suorum se participes vi-
 dent. Si modo vota sua debitis limitibus circumscribant, & filiorum
 suorum *ικανότητα* tam naturalem quam spirituales in iis supponant.
 Alias vota ipsorum non parentum laudibus, sed vituperio cedunt, multo
 minus ecclesiæ emolumento, sed maximo detrimento. †

Nolo in præsentis proluxa enarratione V. D. præcones recensere, qui
 hujus felicitatis compotes facti fuerunt, qua filii ipsorum vel iis adhuc
 vivis, vel ab ipsorum morte officium in ecclesia docendi obtinuerunt;
 Celebrat Lipsiensis ecclesia Vestra non paucos V. D. Ministros; quorum
 filii nepotes, & pronepotes munera sacra pie ac dextre obierunt, quorum
 memoria

† Quod agnovit & deploravit B. D. SPENERUS de *Impedimentis studiæ
 Theologici.* Non desunt, inquit, ex parentibus, qui vix natos, imo
 nondum natos, filios, si nasci contingat, sacro studio destinant, aut se
 plures habeant, ex illis unum vel alterum. Optimum factum, si prudenter
 & cum debita submissione sub divinam voluntatem, imprimis vero, si ex
 debita causa atque intentione. Non jam de eo dicam, si qui imprudenter
 Theologiæ illos devoteant, quos Deus nec vocavit, nec donis ad illud
 necessariis instruxit, cum tamen gratiæ regnum alterum potentiæ ejusque
 bona præsupponat, quod non raro tales studiis, & demum ecclesiæ obtru-
 dantur, quales in eo vivendi genere nec sibi, nec aliis prodesse valent, sed
 demum oneri, & noxæ sunt; cum in eo genere, cui providentia divina,
 solerti semper oculo intuenda, quemvis destinavit, utilem Deo & proxi-
 mo operam navare potuissent. Sed hoc imprimis desidero: quod observa-
 vi, plerosque parentes liberos, quos divino huic cultui offerre constitue-
 runt, alios maxima ex parte fines sibi habere propositos, quam quos
 debebant. . . .

memoriæ aliorum scriptis confervantur & laudantur. † Sed ad TE modo, *Fautor & Amice honorande*, oratio mea se convertit. Novo & conspicuo exemplo assertum illustras, quod ex promissione *Jehoschue* facta, confectarii instar deduxi. Quicumque summe *reverendi Parentis Tui* fidelitatem, qua ecclesiæ Christi invigilat, nec non laudandam *operam Tuam*, qua paterna vestigia huc usque legisti, perspectam habet, mecum consentiet, & tripudiabit, TE *Parente Tuo adhuc vivo inter angelos, & nuncios Dei, ipsi non solum ministrantes, sed alios quoque ad ministeria Deo præstanda convocantes, receptum fuisse*. Gratulor TIBI, *Amicorum optime*, egregia illa naturæ, & gratiæ dona, quibus divina providentia mentem Tuam exornavit; gratulor *ecclesiæ Tuæ patriæ* occasionem, qua donis a summo ecclesiæ Episcopo TIBI concessis uti potest; gratulor *summe reverendo Parenti Tuo* gaudium, ex TE in animum suum redundans. Servet clementissimum Numen, cui ministras, & ecclesiæ, & Parenti Tuo, & TIBI, quæ Vestrum singulis impertivit, quam diutissime, ut, tam in hac militante quam futura triumphante ecclesia *ισάγγελον* TE præbere queas. Cæterum ut me *σύνδελον* Tuum, amore TUO, & precibus, uti hætenus fecisti, vel in posterum complecti velis, est quod abs TE humanissime rogo. *ἡ χάρις μετὰ σβ.*

Scribam Laubæ Lufatorum M D C C X X I X,
prid. Kal. April.

† Collegerunt ejusmodi familias varii, ex quibus nunc mihi est ad manus THEODORI KRAUSII Schlesische PRIESTERQVELLE. Schwidnitii 1714.



Coll. diss. A. 44, misc 44